



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. Christo serpenti salutari honore[m] esse deferendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

innocentes, sicut D. Paulo contigit, atq; ijs euenit, qui ad theatrales bestias damnati vitam & sanguinem, pro Christo, effuderunt. Quamuis enim, non sine prodigioso innocentiae testimonio, vrsi, tigrides, ac leones ante multorum Sanctorum pedes procumbere visi sint; passus est tamen etiam quam plurimos insignes pietate viros Deus, in exemplum constantiae, in signum diuinæ charitatis omnia vincentis, in maiorem æternæ gloriæ coronam, tanquam religionis suæ opimas victimas, ab eiusmodi belluis immanissimè lacerari. Temerarium est igitur, à casibus conscientias iudicare; nec certum impietatis argumentum, sanie viperina perijisse.

Alius quidam, atq; ille sanè sacer *serpens* est, qui non Isidis simulachrum, sed sublime & Propheticum lignum Moyfis saluberrimè coronauit; quem meritò *in perniciem hominum natum esse negaueris*; nempe ille, qui de seipso dixit: *Sicut Moyses exaltauit serpentem, in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis.*

Aspidem comminiscabantur Ægyptij à probis abstinere, & idem de vipera Melitenses falsò crediderunt, cum de Paulo dicerent: *Vltio* (*Δύω*, *Iustitia*, quam Hesiodus Deam facit Iouis & Themidis, alij Astræi, & Hemeræ, vel Auroræ filiam) *non finit eum viuere*. Hic, hic, noster, sine peccato, vt ille Moyfis sine veneno, erga pios verè innoxius, immò salutifer *serpens*, eos, qui se vitæ tradunt sceleratæ, non finit esse inultos. Quippe eâ est prudentiâ, eâ perspicuitate intellectus, vt exactissimè *bonum à malo discernat*; eâ potestate, & æquitate, vt secundum ipsius iustitiæ diuinæ Leges, *in malos animaduertat*. Qua de causâ cum vates dixisset: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, mox addidit: Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum*: idque non tantùm in vitijs, quorum capax non est, eliminandis, virtutèque perfectissimè exercendâ; sed etiam in cæteris mortalibus vitio virtutis deditis acerrimè dijudicandis. *Neque enim Pater iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*

Quod si ergo Ægyptij Thermuthidi detulerunt honorem facellorum, Numini falso, & vel hinc in superstitionem pernicioso; quid nos facere par est nostro pijs tam salutari, impijs tam metuendo serpenti? qui, ne in iudicium rei adduceremur, se ipsum passus est tolli in crucem, vt nos sanguinis sui theriacâ, à venena-

Astor. 28. 3.

VI.

Io. 3. 14.

VII.

Hesiod. in Ergis.

Isaia. 7. 14.

Ioan. 5. 22.

VIII.

to & pestifero antiqui serpentis morsu perfanaret? Gratissimum illi erit memoriæ nostræ sacellum, quin & utilissimum. Facile Iudicium euadunt, qui Iudicis nunquam obliuiscuntur.

I X.

Multiplex porrò Iudicium est, quod Christus dedit. Primum in seipso, ut dixi, quia nemo hominum illo certius sciuit, *reprobare malum & eligere bonum*. S. Theresa voto se obstrinxit, semper id facere, quod melius esse iudicaret. Idem noui & alios fecisse, qui tamen iudicio errare potuerunt, atque id melius existimare, quod reuera melius non esset. In Christo error non habuit locum; ita igitur malum sciuit reprobare, ut nunquam non eligeret bonum, idque ipsum, quod elegerat, meritò melius esse censeretur. Maria semel *optimam partem elegisse* dicitur; Christus *omnia benè, immò optimè fecit*. Quo in æquissimo Iudicio, paucos habet imitatores.

Luc. 10. 42.

Marc. 7. 37.

X.

Io. 9. 39.

I I V

S. Aug. tract

44. in Ioan.

Alterum Iudicium est, inter terram bonam & malam. *In Iudicium ego in hunc mundum veni, inquit, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Ad est, qui se putant videre, & medicum non querunt, in suâ cæcitate permaneant. Et istam discretionem scilicet vocauit iudicium, cum dixit: In Iudicium ego in hunc mundum veni, &c.* ait D. Augustinus.

X I.

Ioan. 3. 18.

I I V

Iudicat itaq; & discernit Christus probos pariter improbosque: probos, dum illis volentibus lumen affert, quo videant Iudicem, non numaria, sed incorrupta Iudicia constituentem; cæciantque offendere terribilem Mundi Prætozem præuaricatores certissimè damnaturum; improbos autem, & cum nihil rerum diuinarum sciant intelligantque, omnia tamen se scire arbitrantes, dum ipsâ suâ cæcitate eos damnat. *Siquidem qui credit in eum, non indicatur: qui autem non credit, iam indicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filij Dei. Hoc est autem Iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim opera eorum mala.* Hoc secundum Dei hominis est Iudicium, quod iudicium simul indiciùmque potest vocari: nam eo Iudicio indicauit, qui nam filij Dei, & filij lucis existant. Oriente sole, noctuæ & vespertiones, illico diffugiunt, & in sua se se latibula recondunt. Non sustinent enim clarum diem oculi vitiosi. Aquilæ autem, quia putres & malignos oculos non habent, sed acie sunt firmâ, in ipsum etiam meridianum solem fixissimè intuentur. Quemadmodum igitur lux, inter aquilas & noctuas, quale sit discrimen, osten-